UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis, quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, & praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque obeundi

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

VII. Charitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-50863

Visual Library

num, eximiámque ei erga indigos commiſerationem imprime: ut ſicut tu opera miſericordiæ exhibes mihi miſero in Venerabili Sacramento; ſic ego quoq; proximo meo egenti eadem exhibeam; quo beatitudinem & miſericordiam conſequar: dixiſti enim: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Matth. 5.

VII. Charitas.

ECce venio ad te, Rabboni amantiſſime, & per cor tuum dulciſſimum, ſuaviſſimæque Matris tuæ te deprecor, ut doceas me diligere te, ex toto corde. Extremum quidem fuit opus amoris tui, quòd naturæ noſtræ tenuitatem aſſumere, atque ad infantiles miſerias te abjicere dignatus ſis: at non minùs excellens eſt opus amoris, quòd Corpus & Sanguinem tuum, in cibum, potúmque nobis donâris: in illo ſiquidem noſtram ſuſcepiſti humanitatem; in hoc largiris etiam divinitatem. Quapropter doce me, diligere: doce me amorem tam eximium, amore compenſare: cúmque amor ſimiles aut inveniat, aut faciat; fac me qualem deſideras, virum ſecundùm cor tuum, humilitate parvulum,

caſti-

caſtitate Angelum , amore tui flagrantem Seraphinum. O Ignis qui ſemper ardes, & nunquam extingueris ! accende me, ut diligam te ex tota mente, & ex tota fortitudine. Amen.

Oratio ad B. Virginem pro aſſiſtentia.

ASſiſte mihi, obſecro, O piiſſima Virgo Mater, & veluti Magiſtra Sapientiæ doce me, eâ devotione ad aram accedere, quâ tu ad cunas Domini accedebas; eâque reverentiâ & charitate Filium tuum tangere, elevare, ac tractare in Sacrificio, quâ tu eum tractabas in ſtabulo Bethlehemitico ac Nazarethana domo, ut gratias & favores tibi exhibitos deguſtare merear. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Oratio ad SS. Angelos.

ASſiſte mihi celebraturo Sancte mi Angele Tutelaris, cum tota multitudine militiæ cœleſtis, quæ in Natali Domini canticum gloriæ in excelſis cecinit, & Paſtoribus gaudium magnum evangelizavit, ut Verbum incarnatum non pannis involutum, ſed panis accidentibus tectum in ara inveniam, ut cum Paſtoribus magni ho-